

annectuntur, quarum prima ortum Solis denotat: altera occasum: Tertia quantitatem diei: Quarta quantitatem noctis, id est horis ac minutis adiectis. Sed haec singulæ descriptiones horarum et minutorum referri debent ad diem mensis sibi oppositum. In tempore autem aestivalium definiendo, sequutus sum horologium Astronomicum, more usitato. In reliquis, quæ ad ortum & occasum Solis pertinent, minus horologium. De quorum mutua reductione infra praæcepta subiungemus.

QVO PACTO EA SINGULA, QVÆ IN HOC OPERE EPHEMERIDVM  
a me inserta sunt, per quemuis etiam alium similiter describi possint.

## DE AVREO NUMERO, AD QVEMLIBET annum Domini currentem, inueniendo.

### C A P V T II.

**P**rononito tibi certum annum, à nativitate Domini nostri Iesu Christi currentem, cui unitam addes (quia Saluator Mundi natus est anno primo cycli decennouenalis) Hoc aggregatum diuide per 19. quicquid autem facta divisione prouenerit, integras revolutiones cycli decennouenalis ostendit. Sed quicquid post divisionem remanserit, id pro cyclo decennouenali tenet. Si nihil prorsus remanserit, complementum totius huius cycli sumito, videlicet 19. Cyclum porto hunc decennouenale vulgus aureum numerum appellat.

E X E M P L V M.

Volo inuenire aureum numerum ad annum Domini currentem 1559. operorq; hoc modo: Anno Domini proposito 1559. unitatem coniungo, et excrescent anni 1560. Id aggregatum annorum cum per 19. diuide, prodeunt per divisionem 82. qui numerus tot integras revolutiones cycli decennouenalis à nativitate Christi esse completas ostendit. Remanent vero post divisionem 2. quem numerum pro cyclo decennouenali retineo, hoc est, pro aureo numero pono: id est ad annum Domini currentem propositum 1559.

### A L I V D.

Iubeor inquirere aureum numerum ad annum Domini currentem 1576. huic igitur anno Domini proposito unitatem addo, & conflantur anni 1577. Quos cum per 19. partior, proveniunt per divisionem 83. qui numerus tot integras revolutiones cycli decennouenalis à nativitate Christi esse completas significat. Nihil autem prorsus post divisionem relinquitur. Accipio ergo complementum totius cycli decennouenalis, quod est 19. hoc namq; mihi aureum numerum, ad annum Domini propositum 1576. suppeditat.

## DE CYCLO SOLARI, AD QVEMLIBET annum Domini currentem, inueniendo.

### C A P V T III.

**C**Yclus Solaris spacium 28. annorum solarium continet, diciturq; ideo circulus, aut Orbita Solis, quod in illis 28. annis, ad sua debita principia omnes varietates redeunt, quæ ex litera Dominicali, ex bisexto, ac concurrentibus contingere possunt, et non quod Sol in eo temporis spacio cursum suum per Zodiacum incedendo perficiat. Cyclum autem solarem sic reperies. Primum, annis à nativitate Domini currentibus 9. adde, (quia Christus natus est anno nono cycli Solaris) postea id aggregatum per 28. diuide. Quicquid autem facta divisione prouenerit, integras revolutiones cycli Solaris indicat: Sed quicquid post divisionem remanserit, hoc pro cyclo solari retinet. Si nihil penitus relinquetur, complementum totius eius cycli sumito, videlicet 28.

E X E M P L V M.

Volo inquirere cyclum solarem ad annum Domini currentem 1576. operorq; hoc modo: Anno Domini proposito 1576. coniungo 9. & excrescent anni 1585. id aggregatum annos.

b 2 rum